Assertiones theologicae de ineffabili SSt. Trinitatis mysterio.

TEGMEN
In Ardore ſolis Aquinatici,
MYSTERIUM SANCTISS: TRINITATIS Peragrantis;

SUB UMBRA

REVERENDISSIMI AC RELIGIOSISSIMI,
Pariterq; SAPIENTISSIMI PATRIS,

F. PHILIPPI
â SS: TRINITATE,
PRÆPOSITI GENERALIS

ORDINIS PP. CARMELITARUM DISCALCEATORUM
Congregationis S. Eliæ,

Prioris S. Montis Carmeli.

Pro tunç in Polonia feliciter hoſpitantis.

DEFENSIONI
Fr. FERDINANDI JANUSZOWSKI,
Sacræ Theologiæ Studentis formalis.

SUB DIRECTIONE

A·R·P·F. IOANNIS WAXMAN
S. Theol: Magiſtri, Studij Generalis Cracouienſis REGENTIS
Opportunè Oblatum.

CRACOVIÆ, *Typis Balthaſari Smieſzkowicz,, S. R. M. Typographi.*

Diſputabuntur in Contu Ssmæ Trinitatis die 25 Junij 1666 Hora 2da Pomeridiana.

JN STEMMA SACRÆ
RELIGIONIS.
CARMELITANÆ.



Carmeli quæ clara micant insignia Montis,
Cum DOMINICE Tuo stemmate fædus habent.
Illa ferunt ternos stellati luminis ignes,
Luce sacrâ radians sidus ,& ista ferunt.
Candidus igniuomo Carmelus fulgurat ense,
Fulgurat ignito flammeus ore canis.
Lucet Vterq; animis, flammas accendit Vterq;
Ore quod ille docet, vindicat iste manu.

REVERENDISS: PATRI
P. F.
PHILIPPO
A
SS: TRINITATE,
PRÆPOSITO GENERALI
FF. CARMELITARVM DISCALCEATORVM CONGREGATIONIS S. ELIÆ,
Priori S. Montis Carmeli,
Fr. FERDINANDVS IANVSZOWSKI S.Th: Studens Form.
D. D. D.

VT iucunda arefactis præ siti faucibus, gelida lympha est: sic in ardore solis obambulanti, haud iniucunda sub tegmine aliquo, opportunè oblato, umbra censetur: reficit illa fauces arefactas, recreat hæc, delassatos artus, vtriq; alterutrum, interdum vtrumq; amicum est: quia amicam exhibet consolationem. Id ipsum interim Generale studium nostrum est, in cursu Theologico aliquatenus lassatum, opportunam quærens & prospectans vmbram. Summus quippe ardor est, solis Aquinatici, mysteria potissimum Sanctissimæ Trinitatis peragrantis. Quis est qui illius sub feruore currens non lassetur? Cuius solis tantò maior ardoris vis est, quantò, quod ille in alijs accendit, comburit in alijs; maius est. Operatur quæ vult, iam dura difficultatum in aliorum mentibus molliendo, grauia sursum attollendo, frigida ac rigida ad calorem & vigorem, suauiter & fortiter deducendo, rursum aliorum ferrea corda magis indurando, frigida stipando, grauia deprimendo. Nostrum sanè studium tanto sub sole (qui semper extra nubes est) onere difficultatum de SS. Trinitate lassatum, non

aliud

aliud præter quam æstum sentit. Sub hoc onere, satis augustis conspicui lacertis, gemebant Augustini; Immortalis gloriæ titulo celebres, sudabant Athanasij: in murum fortissimum Arianis, se opponentes, respirabant Hilarij. Quo se declinet vt aliquantum fessos refocillet artus, dum cogitat; TE REVERENDISSIME *æquè ac* Sapientissime Pater, *opportune oblatum videt. Vbi quieti vacet commodius? Plurimis* Tu *sub Sole currentibus, commodissimas vmbras effecisti, cùm doctrinæ suæ radios nimium splendentes, & mentis humanæ oculos perstringentes* Tua *modesta lucubratione temperasti.* Vt PHILIPPVS *Apostolico munere insignis, quondam ex Magistro suo: ita ex* Te *multi de Patre luminum (vt videntes eum dicant. Et sufficit nobis) dum exquirunt; eundem vident. Qui videt* Te *commentaq;* Tua *in Doctorem Angelicum edita; Patrem in Filio, & Filium in Patre, & in vtroq; ab vtroq; procedentem Spiritum Sanctum videt. Dulcè illis* Tecum *sit commercium necesse est, Quibus eleuatâ conuersari cum Superis mente, volupe est. Vtpote qui nihil in vita iucundiùs censes, quàm Angelico Doctori fidum esse Achatem. Et cui aptiùs vnà cùm* Tuo *castissimo & sapientissimo Ordine ad Seraphicam, cum Seraphica Matre sublimato excelsitatem adhæreas, quàm Angelico Doctori? nempe speciebus non alibi quàm suo sub genere potior locus est. Verè* Tu *es* PHILIPPVS *cum quo* CHISTVS *in Patribus & Fratribus* Tuis *sæpius communicando, quærit,* PHILIPPE *vnde ememus panes vt manducent hi? quos* Tuo *sub Regimine foues & sustentas. Habes* Tu *præsto panes, quos* Tui *manducantes, ita abundè saturantur; vt etiam orbem vniuersum micis pascant, & nutricentur. Panes Sanctitatis & Sapientiæ à tanto tempore illis frangendo porrigis; quos illi mirabili metamorphosi in suam substantiam transmutantes, orbi in stuporem sunt. Quid ni itaq; nostrum studium,* Tuâ *in Poloniam omine felici, aduenientis, hodierno in actu æstum declinet sub vmbra? Quid ni suauiter quiescat? Quid ni tandem iucundè oblectetur, donec æstus difficultatum deferuescant? Quiescit & oblectatur.* Tu *magnam sparge vmbram, nec ipse vllam in vita* Tua, *quam* Tibi *diuturnam Ecclesiæ & Sacræ Religionis bono exoptamus, aduersitatis vmbram experiare.*

Reuerendissimæ Paternitatis Tuæ
Deuotissimus & humillimus seruus.
Fr. FERDINANDVS IANVSZOWSKI.

ASSERTIONES THEOLOGICÆ,

DE JNEFFABILI SANCTISSIMÆ TRINITATIS MYSTERIO

I

DAtur in Deo processio, secundùm quam vna Persona procedit ab alia, quam D. S. ratio probat. Quicunq; intelligit, ex eo quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum; quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua prouenìens, & ex eius notitia procedens.

II.

DOctoris Sancti ratio, vniuersaliter vera, circa obiectum connaturale & proportionatum, circa quod non supponitur productum verbum per eandem intellectionem; ita quod sensus sit, omne intelligens suum obiectum connaturale, ex hoc ipso, quòd intelligit, producit verbum; si per eandem intellectionem productum non fuerit.

III.

III.

COnceptus Processionis Actiuæ, non consistit formaliter & adæquatè in relatione termini producti; Nec in relatione principij significata per modum actûs & operationis: Sed consistit in absoluto, vt modificato relatione principij; passiuæ verò in absoluto, vt modificato relatione termini.

IV.

PRocessiones Diuinæ Actiuæ; sunt verè actus intellectûs & voluntatis. Ita, vt ne quidem virtualiter, vel ratione nostra cum fundamento ab intellectione & volitione distinguantur; sed sòlùm qùatenus addunt intrinsecè super intellectionem & volitionem habitudinem ad terminum productum; non tamen particularem & propriam rationem actûs vel operationis.

V.

FIdes docet dari in DEO generationem viuentium, strictè sumptam. Hæc autem est Processio Verbi: quæ ob solam Identitatem intelligere cum esse intelligentis dicitur generatio.

VI.

PRæter Processionem Verbi in Diuinis, ponitur Processio Amoris. Sicut enim per actum intellectûs ita per actum voluntatis producitur aliquis terminus intrinsecè manens in voluntate.

VII.

VII.

CErtum est Processionem Amoris in Deo, nec esse, nec dici debere generationem. Cuius non alia ratio, nisi quòd terminus eius formaliter, seu ex vi suæ Processionis non accipiat naturam Diuinam.

VIII.

CVm non nisi duas actiones immanentes in Deo agnoscamus; nec plures Processiones agnoscere oportet, quarum distinctio non est numerica tantùm, ad eum modum, quo duæ formæ eiusdem speciei distingui solent, seclusis im perfectionibus; sed veluti specifica.

IX.

DE fide est, in Deo dari Relationes Reales, quæ non prædicantur de Deo per modum inhærentis; sed permodum ad aliud se habentis. Relationi identitatis ita comparantur, quòd per huius modi relationes, non diuersificetur substantia; sicut nec per relationem identitatis.

X.

REationes non solùm secundùm quod dicunt In, seu secundùm quod includunt essentiam; sed etiam secundùm quod dicunt Ad, vel secundùm quod nostro modo intelligendi superadduntur Essentiæ Diuinæ, sunt aliquid reale.

XI.

RElationes Diuinæ nec realiter, nec modaliter, nec formaliter ex natura rei, ab Eſſentia Diuina diſtinguuntur; benè tamen ratione ratiocinata, ſeu Virtualiter.

XII.

RElationes Diuinæ non ſolùm adæquatè acceptæ, verum etiam prout dicunt In præciſè, dicunt infinitam perfectionem prout verò dicunt Ad præciſè nullam dicunt perfectionem vel imperfectionem. Ex quo ſequitur, in DEO non eſſe concedendas tres perfectiones relatiuas.

XIII.

SIcut vnum tantùm eſt Eſſe Eſſentiæ in DEO, ita & Exiſtentiæ. Et ſic Relationes non adferunt ſecum proprias exiſtentias relatiuas, virtualiter ab Exiſtentia abſolutâ diſtinctas; ſed eâ exiſtunt, quâ exiſtit Eſſentia Diuina.

XIV.

QVatuor ſunt in DEO relationes reales: Paternitas, Filiatio, Spiratio Actiua & Paſſiua. Paternitas, Filiatio, Spiratio Paſſiua realiter ab inuicem diſtinguuntur: id quod etiam conſtat de Spiratione Actiua, reſpectu paſſiuæ. illa verò reſpectu Paternitatis & Filiationis, ſolùm virtualiter diſtinguitur.

XV.

XV.

PErsona in communi rectè definitur á Boëtio, quod sit Rationalis naturæ indiuidua substantia. Quod nomen Personæ idem est ac Hypostasis in natura rationali, adeo vt ipsum quod dicit Hypostasis in genere substantiæ, dicat Persona in natura rationali.

XVI.

NOmen & ratio Personæ, conuenienter Deo tribuitur. Ejus significatum non est secunda intentio: neq; negatio communicabilitatis, sed aliquid reale & positiuum. Hoc autem significatum non est sola Essentia, sed & Relatio. Hæc quidem in recto; illa in obliquo.

XVII.

NEcessariùm est concedere in Deo Subsistentiam Absolutam & Essentialem: præterquam, etiam concedendæ sunt tres Subsistentiæ relatiuæ, realiter ab inuicem distinctæ.

XVIII.

REmotâ reuelatione supernaturali, intellectus humanus non potest assentiri mysterio Trinitatis; quin nec mente suá illud apprehendere, eo modo, quo apprehenditur á fideli: immò nec intellectus Angelicus solo lumine naturali suffultus, poterat suspicari in Deo esse pluralitatem Personarum.

XIX.

ESse innaſcibile eſt proprium Patri, ita quidem vt per eſſe innaſcibile ſpecialiter innoteſcat. Hoc ſecundùm quod eſt ſpecialis notio Patris, eſt formaliter negatio, & ſolùm connotat poſitiuum.

XX.

HOc nomen Verbum, propriè dicitur de Filio DEI. Ita quidem vt ratio Verbi, ſoli Filio conueniat. Jn cuius ratione non ſolùm reſpectus ad Patrem, ſed & ad creaturas importatur.

XXI.

VErbum Diuinum procedit ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in DEO: & conſequenter non ſolùm Eſſentiæ, & attributorum, ſed etiam omnium Perſonarum perſe. Item ex cognitione omnium creaturarum poſſibilium, non tamen ex cognitione tam abſolutè quàm ſub conditione futurarum.

XXII.

IMago non dicitur Eſſentialiter in Diuinis, ſed Perſonaliter: cuius ratio, Filio; non Spiritui Sancto, verè & propriè competit: idq; reſpectu ſolius Patris, à quo vt diſtinctus procedit.

XXIII.

NEcesse est dicere Spiritum Sanctum non solùm à Patre, verùm & à Filio procedere: à quo si per impossibile non procederet, distinctione reali ab eo non distingueretur.

XXIV.

Non obstante, quòd Pater & Filius sint vnum Principium Spiritûs Sancti; potest dici, quòd Spiritus Sanctus, procedat à Patre, per Filium, vel quod Pater spiret per Filium.

XXV.

RElatio Spirationis Actiuæ vt virtualiter distincta à Patre & Filio, non est principium quod Processionis Spiritus Sancti; cùm etiam vt taliter à Patre & Filio distincta, non sit subsistens.

XXVI.

COnstitutiuum formale diuinarum Personarum, non sunt proprietates absolutæ, aut origines, seu processiones, & actus notionales; sed Relationes.

XXVII.

Licèt Personæ Diuinæ realiter distinguantur: non tamen referuntur adinuicem, relatione reali æqualitatis. Hinc relatio æqualitatis inter diuinas Personas, non est relatio, realis; sed rationis.

XXVIII

XXVIII.

COnuenit alicui Perſonæ Diuinæ mitti, non ſolùm prout miſſio importat habitudinem miſſi ad mittentem; ſed etiam prout Miſſio importat habitudinem ad terminum miſſionis, Eſt autem Miſſio: Proceſſio originis à mittente cum nouo modo exiſtendi in alio.

XXIX.

Miſſio non ſolùm eſt proceſſio æterna, nec ſolus effectus temporalis; ſed pro vtroq; ſupponit, & vtrumq; importat: in recto quidem ipſarum Perſonarum originem; in obliquo nouum effectum in creatura productum.

XXX.

MIſſio inuiſibilis, fit ſolùm ſecundùm dona gratiæ gratum facientis; non verò ſecundùm alia dona ſupernaturalia. Quando verò ſic mittitur Perſona diuina, non ſolùm datur ipſius gratiæ donum; ſed & ipſa Perſona ſecundùm ſubſtantiam ſuam.

prout
sed e-
mis-
cum

fectus
npor-
in o-

atum
ralia.
datur
ostan-